HUGO DE SANCTO VICTORE. EXCERPTA

3. Viertel 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



deficit dilectio deficit, et non amicus iam qui amicus uidebatur, immo qui prius amicus non fuit sed putabatur. Nunc manifeste amicus nec esse nec fuisse comprobatur. Illud quoque uere dicitur: qui amicus est semper diligit. Si amicus fuisti in prosperitate, dilige in aduersitate. Quid enim in prosperitate dilexeris, in aduersitate ostendis. Si enim amicum dilexisti, adhuc ipse est, dilige eum. Cur cesset dilectio cum quod amatur non auferatur? Si autem fortunam dilexisti, non habes quod iam diligas, quia fortuna discessit et permansit homo solus. Hoc sibi uult quod dictum est: qui amicus est semper diligit. Instas adhuc quasi maius aliquid adducturus ad comprobandum quia caritas semel habita non recedat. Ostendis integram tunicam Christi que scindi non potuit, etiam quando Christus pati potuit. Corpus Christi uulnerabatur et tamen tunica Christi non scindebatur. Magnum est quod affers si bene intelligas. Quid est enim tunica Christi nisi ecclesia Christi? Et quid est integritas tunice nisi unitas ecclesie? Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. Quod unum? Manete in dilectione mea. Ubi caritas, unitas ecclesie est. Et dicit scriptura: Qui in unitate ecclesie sunt perire non possunt. Hoc est quod dicere uoluisti: Qui in caritate sunt perire non possunt. Siue caritatem siue unitatem nomines, idem est, quia unitas est caritas et caritas unitas. Qui ergo in unitate ecclesie sunt, qui in caritate sunt, et qui in caritate sunt perire omnino non possunt. Manifesta est ratio. Nemo fidelis contradicit. Nullus in caritate perire non potest. Ibi perire non potest, sed inde exire potest. Qui ibi manet perditionem non timet. Caueat ipse ne egrediatur foras. Intus positus perditio non est. Sic his qui foris sunt salus non est. Qui incipit exire, incipit perire. Sed cum autem foris positus ad caritatem reuertitur, ad salutem reparatur. Quid amplius queris? Fortassis aliam unitatem ecclesie interpretari uoles, de qua ueracius dicere possis, quia idcirco in illa nullus perit,

quoniam ex illa nullus exibit. Illa enim unitas predestinationis de qua dicitur: Nouit dominus qui sunt eius. Et uerum est quia omnis qui in hac unitate est saluus erit, quoniam ex his qui presciti sunt ad uitam nullus peribit. Sic enim dicit scriptura: Quos predestinauit, hos uocauit, hos et iustificauit, et quos iustificauit, hos et glorificauit. Isti sunt ergo diligentes deum quibus omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum uocati sunt sancti. Illi autem qui secundum propositum uocati non sunt, et qui ad uitam predestinati non sunt, etsi aliquando ad tempus deum diligant, usque ad finem in dilectione dei non perseuerant. Qui propterea amissa caritate pereunt, quia cum ad iniquitatem ceciderunt ad caritatem non resurgunt. Predestinati autem postquam deum diligere ceperint, uel perseueranter diligunt ut a dilectione non cadant, uel cum a dilectione ceciderint, iterum ad illam resurgunt ut non pereant. Quid tibi uidetur? Credis necne ita esse ut dico? Fortassis non tibi sufficiet apostolus qui hoc dicit. Propterea quod non ita existimes intelligendum esse quod dicit apostolus, non omnes diligentes deum in numero illorum ponere uoluit quibus omnia cooperantur in bonum, nisi eos tantum qui secundum propositum uocati sunt sancti. Manifesta est ueritas, nisi illam inpudenter negare uolueris. Sed dicis fortassis non ita intelligendum esse quod ait apostolus: Scimus quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum uocati sunt sancti. Dicis quoque non ita intelligendum esse quasi per id quod subiunxit his qui secundum propositum uocati sunt sancti determinare uoluerit quibus diligentibus deum omnia cooperantur in bonum, sed potius eosdem ipsos diligentes deum dicimus secundum propositum uocatos sanctos. Sic ergo fortassis intelligenda putabis uerba apostoli nec tamen credes si dicere